

quam in præparandis juvenum animis respiciamus, seria certamina semper ob oculos sunt ponenda. Quicquid enim in iis necessarium est, vel usum aliquem præstat, id in nostris exercitiis est respiciendum, quo nostri labores ad eum perveniant exitum, quem nobis proposuimus. In seriis disputationibus necessarium est, ut plurium propositionum nexum brevissimo tempore perspiciamus, nec hæreamus, si consequentiarum deductio prolixa sit. Nec propositionum numerus vel defatigare vel turbare debet animum, qui disputantis officio fungi vult. Id ergo à divinò Numine & exercitatione habeat ingenium, ut, conspecta longa propositionum serie, nexum intelligat, eumque verbis adæquatis explicet. Ex hac prima observatione sponte fluit, quæ in disputaturis desiderentur, quo scopum propositum attingant. Nostris temporibus Deus non immediate & extraordinarie divinas veritates ad salutem necessarias infundit, sed, ut easdem ex Scripturis Prophetarum & Apostolorum cognoscamus, colligamus, propagemus & defendamus, ordinavit. Solertia itaque & *ἰδία δυνάμει*, quæ donum Dei est, sit præditus, qui veritates revelatas defendere audet. Intelligo ejusmodi indolem, quæ plures distincte ideas successive, sed brevi momento concipit, quam facultatem intellectus capacitatem appellamus. Adesse quoque debet intellectus claritas, quæ res percipiendas non confuse, sed distincte concipiat, quæ qui præditus boni doctoris munere fungitur. Accedat prompta judicandi & res perceptas comparandi facultas. Neque desit memoria, quæ licet non verba, rerum tamen connexiones feliciter conservet. In voluntate requiritur ingenuitas, quæ virtutes Christianas, non tantum earum simulacra, sponte recipiat. Ejusmodi dona ex liberali Dei dispensatione quibusdam concessa honorat & excolit Spiritus S. habituali scientia. Hæc vero errorum

rorum